905178

J. F.

DE

ECCLESIA GRÆCORUM VETERI AB HÆRETICIS DIVERSIS

gravissimè afflicta,

IN ACTU VIRLINGIANO GYMNASII MAGDALENÆI

d. 3. Martii, 1678.

hora 8. matutina

Dissertationes

habendas

indicit

M. JOHANNES FECHNERUS.

WRATISLAVIÆ,
In Hæredum Baumannianorum Typographia
exprimebat Godofredus Gründer.

LeCtor benIgne,
gratIa & paX DeI te ſerVet tVtVM.

GRæciam veterem, ac in eâ potiſſimum Civitatem Athenienſium, quæ ob præcellentiam ſuam ab Euripide Tragico apud Athenæum Dipnoſophiſtam ſcitisſimè Ἑλλὰς Ἑλλάδος, Græcia Græciæ nuncupatur, fuiſſe Diſciplinarum Liberalium matrem & propagatricem fœcundiſſimam, neminem Eruditorem latet. Hæc enim quam plurimos fovit produxitq; Sapientes, qui poſteritati conſultum cupientes ingenia & ſtudia ſua, ut Plinii Senioris utar verbis, rem fecerunt publicam, Arteſq; ſuas monumentis litterariis commiſſas Orbi univerſo liberaliſſimè communicârunt. Nempe Atticum illud Aſtu, ſeu Oppidum totius Græciæ primarium, & alterum juxta Spartam ejusdem ὄμμα, à ſtatuis frequentiſſimis Minervæ, quam Græci Ἀθηνᾶν vel Ἀθήναν vocarunt, inibi locatis conſecratisq; hoc nominis indeptum, per omnes mundi oras ſapientiæ ſuæ deduxit colonias & fertiles litterarum humaniorum traduces propagavit. Eapropter à Diodoro Siculo Bibliothecæ hiſtoricæ conditore clariſſimo πάντων ἀνθρώπων παιδευτήριον, omnium hominum ſchola, non falsò fuit appellata. Fuére quidem aliæ quoque Nationes, quas myſticæ Sapientiæ fama per Orbem claravit. Celebrantur Ægyptiorum Sacerdotes, Perſarum Magi, Aſſyriorum Chaldæi, Indorum Gymnoſophiſtæ & Brahmani, Celtarum Barditæ, Gallorum Druidæ, Illyricorum Sammonii, & aliarum gentium hujus farinæ ſapientes. Sed quia iidem per ſcripta in lucem publicam emiſſa populis legen-

dos,

dos ſe non præbuerunt, exterosque ſapientiæ ſuæ arcanæ facere participes renuerunt, Lethéa oblivio ſcientiæ ipſorum veſtigia à tergo delevit, aut ſi qua adhuc reſtant, in Græcorum Philoſophorum monumentis ad poſteros transmiſſis reſtant.

Sanè Pythagoras ex hieroglyphicâ Ægyptiorum Sapientiâ, tanquam picturâ loquente, non pauca in ſuum traduxit Lararium, uti ex Symbolis ejus, vel Gnomis allegoricis verè aureis luculenter apparet. Inter alia dogma illud monſtroſum de μετεμψυχώσει, vel transmigratione animarum è Græciâ Magnâ ſive Calabria ſuperiori, non in univerſam tantùm terram Italiam, ſed in Aſiam quoque & ad extremos usque Indos ac Gymnoſophyſtas penitravit. Horum enim poſteri Bramini dæmonum myſtagogi paganis illic degentibus perſuaſerunt, animas hominum morientium in bruta animalia, & bonorum quidem in manſueta; pecora, jumenta, præſertim boves, quos ſuperſtitiosè venerantur; nec non aves domeſticas & oſcines, piſces item innoxios: malorum verò in feras beſtias, lupos, tygrides, crocodilos, ſerpentes, bufones & ſimiles commigrare. Idcirco Beniani, & Jenitivi aliique dæmonicolæ, qui vel in Malabaricâ, vel Malaicâ orâ extima & in mare procurrente habitant, vel Interiori in Indiâ, in Bengala, Colconga, aliisque Regnis, quæ Magno Mogoli parent, vel tributa pendunt, paſſim reperiuntur, ab eſu carnium & cæde brutorum quorumvis, etiam noxiorum & inſectorum viliſſimorum prorſus abſtinent; uti Itineraria illorum, qui terras iſtas orientales penitus perluſtrarunt, affatim conteſtantur.

Notum eſt Platonem Academiæ erudiiæ ſatorem & ſtatorem non Ægyptios tantum, ſed & Phœnices ipſorumque vicinos Hebræos pervestigandæ Sapientiæ arcanæ cauſa adiiſſe. Certè ex Moſe & Salomonis ſententiis hauſiſſe eum multa, & in Libros ſuos derivaſſe, Viris eruditis, qui Philoſophi hujus Divini cognomine celebris, monumenta relicta perquiſitè evolverunt, ſatis eſt exploratum.

Ariſtoteles verò è Lycéo vel Peripato ſuo progreſſus, totum Orbem eruditum perambulavit, & in cathedras ordine recto & perſpicuè philoſophantium dudum receptus, etiamnum Diſciplinas liberales publicè docet. Nemo enim ex novitiis Philoſophis aptiorem ad docendam Sapientiam humanam methodum hactenus invenire potuit. Proinde ſi non ubique in docenda & diſcenda Philoſophia dogmatica dux adhibendus, comes tamen commodus eſſe poteſt, & ſicubi à tramite recto aberravit, (non enim in omnibus, Phyſicis præſertim Acroamatis, ſatis oculatus fuit, ut experimentalis rerum cognitio demonſtrat,) in viam comiter revocandus eſt & corrigendus. Fruſtra igitur Gaſſendus, Helmontius, Carteſius aliique novarum opinionum promi-condi Philoſophiam Peripateticam, tanquam ſophiſticam & futilem, ſuis obtrectationibus ubique ejectam proſtratamque cupiunt. Ipſi enim in diverſas à ſe invicem diſcedunt ſectas, ut neſcias, cui te addicere debeas.

Quid jam memorem de Hiſtoricis, de Oratoribus, de Poëtis Græcorum, quorum opera vel integra, vel eorum lipſana & fragmenta manibus noſtris teruntur? Nonne illa Atticam antiquitatem & omnigenæ eruditionis & elegantiæ flaviſſam reſiduam, tanquam hæreditatem lautiſſimam nobis exhibent poſſidendam?

Verum

Verum non tantum litterarum humaniorum, ſed Religionis quoque Chriſtianæ propagatrix ſedula fuit Græcia. Ipſe Deus benigniſsimus hominum Servator, ampliſſimam Græcorum nationem tanto præ cæteris gentibus cumulavit munere, ut ſalutiferam Novi Teſtamenti Διαθήκην, & Evangelium de JESU Chriſto Redemptore hominum omnibus in Lingvis vivâ voce prædicatum, non niſi Græco Idiomate ab Apoſtolis divino afflatu impulſis perſcribi curaverit. Eo namque tempore, quo Filius DEI unigenitus in carne apparuit, omnibus in Provinciis, Romano Imperio ſubjectis Græcus ſermo receptus totum penè Orbem non peragraverat modò, ſed & inſederat. Ita ſingulari Numinis divini ope Doctrina ſalutis tantò facilius generi humano ſe inſinuavit. Apoſtoli natione erant Hebræi: ſed ad Hebræos non hebraicè, nec ad Latinos latinè, ſed Græcâ in lingvâ Epiſtolas exarabant. Ac Græca quidem Eccleſia ab Apoſtolis, imprimis D. Paulo Gentium Doctore ex ſemine Verbi θεοπνεύστου plantata, à Presbyteris ſanctis largiter rigata, & à DEO ipſo cæleſti benedictione oppidò repleta, ὑγιαίνουσαν διδαχὴν primitus puram & illibatam cuſtodivit, & ethnicâ ſuperſtitione repudiata, pomœria ſua longè latèque extendit. At Satanas capitalis Chriſti & Chriſtianorum hoſtis maturè inter ſemen bonum Zizania ſua ſparſit, & Apoſtolis jam vitâ exemptis, ex ipſis eorum diſcipulis ſuſcitavit viros quosdam διεστραμμένα loquentes, ut in Partes ſuas pertraherent plures, ſicut D. Paulus prædixerat. (Act. 20. ℣. 30.) Tales fuére Ebion, Cerinthus ac ſimiles Diaboli primogeniti, qui vivente adhuc D. Johanne Theologo, novas & ſcriptis Apoſtolicis adverſantes opi-

niones Ecclesiæ obtrudere allaborabant. Ac primarium quidem Religionis Christianæ caput de Personâ Christi nefariè infestabant: Alius Salvatoris Divinitatem, alius veram ejus Humanitatem negabat. Cumque post truculentissimas persecutiones, imperante Constantino Magno, Ecclesia ab externis hostibus & Tyrannis quietem nacta esset & incrementa caperet, idololatris in angustias pagorum (unde paganorum ortum nomen) redactis, non quievit Satanas, sed dissidia & discidia inter Episcopos & Doctores, à quibus Religio Christiana mirè & miserè fuit convulsa, suscitavit.

Inprimis Arius (Ἄρειος) hæresiarcha pestilentissimus contra orthodoxos insurrexit. Hic Filium DEI Patri æterno ὁμοούσιον, essentiâ æqualem esse blasphemè negavit, abusus pessimè ipsius Salvatoris enunciato, quo dixit: Pater me major est: (Joh. 14. ℣. 28.) Unde perversissimus impostor subdolè collegit, Filium Patre esse minorem & creaturam. (Theodor. l. 7. H. E. c. 11.) Consopita quidem fuit hæresis hæc in Synodo Nycænâ, & Filii DEI Majestas validè adserta, sed consopita dundaxat. Nam sub triparito filiornm Constantini M. Imperio, præsertim sub Constantio, qui partes Arianorum fovit, denuò ex cinere doloso emersit secta hæc damnata, oppressis per sycophantias orthodoxis Episcopis & exilio multatis. Cumque malum hoc pestiferum per totum Imperium, ut torrentissima eluvies se diffudisset, non falsò tunc dictum fuit; miratum esse mundum, se tàm subitò factum esse Arianum. Sicuti verò dato uno absurdo, plura sequuntur: Ita ex sectâ Arianicâ furor Antitrinitariorum erupit. Photinus enim

Christum

Chriſtum non eſſe DEUM, ſed hominem tantum, ore blaſphemo dictitabat: Cui ſuccenturiatam quaſi præſtans operam Macedonius, Spiritus Sancti Divinitatem negavit. Exciſæ deinceps hæreſes iſtæ fuerunt in Concilio Epheſino & Chalcedonenſi: Sed ex radice pravâ, præter Neſtorii & Monotheletarum errores, propullulavit ſchisma illud diuturnum, de Proceſſione Spiritus S. quod etiamnum miſeræ illæ Græcorum reliquiæ, jugo Mahumetico preſſæ mordicus retinent. Nam contra diſerta Symli Nycæni verba dicunt, Spiritum S. non à Patre & Filio, ſed à Patre per Filium procedere, uti apparet ex Synodo alterâ contra Cyrillum Lucarim ſub Parthenio Patriarchâ An. 1642. habitâ, (V. Felav. Præfat. in Enchir. de ſtatu hodierno Græc. Chriſt. Chriſtoph. Angeli.

De inteſtinâ hâc calamitate Eccleſiæ Græcæ præſertim veteri ab hæreticis inflicta in Actu Declamatorio, qui Virlingianæ memoriæ recolendæ gratia hoc tempore haberi ſolet, die craſtina, DEO adjuvante, diſſerere conſtitui: *Quod Vobis, Patroni & Fautores Litterarum ſubmiſſè & officioſè honorandi, inſinuandum duxi, enixè rogans, ut cras horâ 8. ante meridiem Acroaterium noſtrum Magdalenæum inviſere, & operam auricularem mihi & diſcipulis meis dicturis adhibere dignemini. Ego vicisſim ipſis obſervantiæ & officioſæ voluntatis ſtudia, qualia quidem à meâ tenuitate proficiſci poſſunt, promitto.* Prop. publ. poſtridiè Calend. Martii. Anno reparatæ Salutis, quo meritò precamur,

GratIa & paX DeI tVtos & InCoLVMes nos ſerVet.

Dicent

Dicent

I. *Præceptor, Generatim, Sermone Græco eoq; succincto, de Græcorum Ecclesia veteri diversis ab Hæreticis miserè turbata & lacerata:*

II. *Discipuli, Speciatim & distinctè de eadem Materia,*

1. *Ex Primanis*
   1. *Expositivè, Christianus* Guttbier / *Lignicienſis, & Johannes Christianus Eckhardus, Witebergenſis.*
   2. *Narrativè, David Titius, Posonio-Pannonius, & Johannes Caſpar* Nimptſch / *Bernſtadienſis:*
   3. *Comparatè (Græcè) Paulus Jenichius Lauba Luſatius.*

   Singillatim, Carmine Heroico, de Constantini M. in opprimendis tyrannis fortitudine & hæreſibus, præſertim Ariana, convocando Concilium Episcoporum pietate,
   Iohannes ChrIſtophorVs SIgIsMVnDI, VratIsLaVIensIs.
2. *Ex Secundanis, recitaturi excerpta ex Historia Ecclesiaſtica Nicephori de Hæreſiarchis quibusdam,*
   1. *De Ebione, Samuel* Groſſer / *Olſnenſis,*
   2. *De Cerintho, Benjamin* Bartſch / *Hainovienſis.*
   3. *De Ario, Johannes Christophorus Burckhardus, Wratislavienſis, & Carolus Henricus ab* Aleman /
   4. *De Photino, Georgius Christianus Kræſchelius, Strelenſis, & Johannes Christianus Gaſto, Winzigienſis.*
   5. *De Macedonio. Sigismundus* Hahn / *Svidnicenſis.*
3. *Ex Tertianis, pronunciaturi Symbola orthodoxæ fidei hæreſibus oppoſita,*
   1. *Nicænum, Johannes Christophorus Albinus,*
   2. *Athanaſianum, Johannes* Gottlieb *Frimelius & Johannes* Jancke /
   3. *Chalcedonenſe, Johannes Georgius* Bliſchky
   4. *Determinationes Synodi Epheſinæ, Henricus* Hache / *omnes Wratisl.*

   Coronidis loco precatiunculas quasdam ſelectas ex eis, quas B. Franciſcus Virlingius, Matthiæ Pater Diaconus quondam Ædis ſacræ Mario-Magdalenææ præclariſsimè meritus, Capp. Biblicorum Lectionibus, ſpeciatim Epiſtolis ad Corinth. ſubjecit, recitabunt,
   Johannes Urbanus Hulſt / *Georgius Ferdinandus* Brückner / *David* Nieblig / *Johannes Fridricus* Mittmann / *Wratislavienſes.*

